

rum metatione non collocarentur cum tribubus reliquis: cum obeundis circa Sanctuarium officiis essent consecrati. Quoniam verò *Levitæ illi Mosaici* non ea tractabant sacra, quæ *Sacerdotes* tractant *Legis novæ ac Christi*; stare accincti ferro, configere prælio, fundere sanguinem, illis licebat, quod *Sacerdotibus Novæ Legis* licet neutiquam. Unde *Clericis* ne incedere quidem armatis licet, nisi velint *Excommunicationis* plecti fulmine, quod *Capitulum* de Vitâ & honestate Clericorum secundum intentat, cum ait: *Clerici arma* (quæ videlicet ex se sunt ad offendendum instituta) *portantes excommunicentur.*

V. 48. *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 49. Tribum Levi noli numerare, neque ponas summam eorum cum Filiis Israël: 50. Sed constitues eos super tabernaculum testimonii, & cuncta vasa ejus, & quidquid ad ceremonias pertinet. Ipsi per-*